poenę· Ita cum ex hominiſ primi perpe-
tua propagine. procul dubio ſit morſ
poena naſcentiſ· tamen ſi proprietate
iuſtitiaque perpendatur· fit gloria re-
naſcentiſ· Et cum ſit morſ· peccati re-
tributio· aliquando impetrat· ut nihil
retribuatur peccato· Item ex hoc bea-
tuſ gregoriuſ dicit· Sicut ſcriptum eſt·
Iuſtuſ quacumque· morte preuentuſ fue-
rit· anima eiuſ in refrigerio erit·
Electi ergo qui ad perpetuam uitam ten-
dunt· quid eiſ obeſt· ſi ad modum dure
moriantur? Eſt enim fortaſſe nonnum-
quam eorum culpa licet minima· quae
in eadem debeat morte reſecari·
Nam uir dei contra ſamariam miſſuſ· quia
per inoboedientiam in itinere comedit·
hunc leo in eodem itinere occidit·

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 264, p. p.%2026 – Prognostica Juliani
(http://www.e-codices.ch/en/csg/0264/p.%2026)